

clamavit: O utinam vel tantillum superbiæ super hanc caudam reponere possem! Verumtamen ad quam sublimitatem tanta equis fuerit exaltata humilitas coram universo mundo, quis est, qui nesciat? Corpus suum in loco Ecclesiæ, qui calcaretur præ reliquis, tumulari voluit, ut aliorum, ut omnium Ecclesiæ intransitum conculcetur pedibus, eorumque se recommendaret precibus; Deusque disposuit, non solum ut non conculcetur, sed et auro, gemisque includeretur, omnesque fideles temporibus futuris ejus certatim implorarent patrocinium, existimantes se beatos, si illi loco os infingere possent, ubi ipse omnium pedibus calcari desiderabat. Tandem intra quatuor annorum spatium post mortem ejus, cum nondum canonizatus esset, ad sepulchrum ejus delata sunt octo millia vota argentea, et supra quatuordecim millia tabularum, aliæque oblationes, æquantis triginta octo millia setorum. Ex humilitatis instinctu cognomen sibi sustulit nobilissimæ familie Borromææ; Deusque disposuit, ut in Canonizationis ejus medallii, qualium centum et quinquaginta milliones excessisse feruntur, per mundum universum augustissime deprædicaretur. MANSI, disc. xi, n. 9.

De S. Gallicano sic loquitur Martyrologium: Alexandria, Sancti Gallicani Martyris, viri consularis, qui triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, a SS. Joanne et Paulo ad fidem Christi conversus est, qua suscepta cum S. Hilario ad Ostia Tiberina secedens, hospitalitati et infirmorum servitio totum se dedit, cujus rei fama in toto orbe divulgata, multi undique illuc venientes, videbant virum ex Patrio et Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, arripito baculo festinus venit Alexandriam, cumque ad designatum hominem pervenisset, et ingressus fuisset, ille viso tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propterea de deserto veni. Qui respondit: Nescio, me

aliquando boni aliquid perpetrasse; nisi quod ex cubili proprio mane consurgens, antequam in opere resideam, dico, quod omnis hæc civitas a minore usque ad majorem ingrediatur in Regnum Dei, propter justitias suas, ego autem solus propter peccata mea penam ingrediari sempiternam; quod verbum antequam quiescam sero, ex cordis mei recensio veritate. Hoc audiens B. Antonius, dixit ei: In veritate, fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua, cum requie Regnum Dei adeptus es; ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram. *Vita PP. 1. de Hum. § 121.*

Augustinus de Iterano, cum esset nobili genere ortus, et utriusque Juris famosus professor, et nihilominus in curia domini Manfridi Regis valde potens, et omnibus charus; Deo disponente incidit in ægritudinem validam. Cumque timeret se moriturum, petivit a Deo spatium penitentiae, promittens se Religionem ingressurum, et statim est liberatus. Restitutus ergo pristinae sanitati, divina vocatione Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, in insula Siciliæ, ingressus, voluit vir Dei in ipso suæ conversionis primordio humilitatis jacere fundamentum. Unde sanctæ Religionis habitum assumens, occultavit suæ scientiæ claritatem, generis nobilitatem, et prioris status sublimitatem, ne quis ex aliquo prædictorum eum considerans veneraretur, et ne ex hoc in cor ejus aliqua superbia irripere posset. Factus est ergo inter Fratres stultus, ut a Deo instrueretur. Factus est pauper, ut divitiis celestibus ditaretur. Factus est vilis in mundo, ut apud Deum exaltaretur. Conversabatur enim inter Fratres cunctis vilior et despectior, sciens se tanto majoris meriti esse apud Deum, quanto pro amore ejus magis despectus esset in mundo et inter homines. Jactantiæ autem verbum prioris status nunquam ex ore ejus audiebatur. Humiliora servitia domus, et quæcumque viliora, incognita manens devotione, humilitate, et diligentia nimia adimplevit. In ipsa vero sua humilitate gaudens, plorabat, quod tantum distulerat suam conversionem ad Deum. Liquefiebat anima ejus amore supernæ patriæ pro ejus amore omnia presentia pro nihilo reputabat. Si quod verbum aliquando causa fraternæ correptionis laboretur, et detestatione

mali, fraterna charitate solitus erat facere, statim seipsum condemnans, ad pedes Fratris prostratus veniam postulabat. Postquam autem vir Dei in insula Siciliæ aliquanto tempore fuisset cum Fratribus magna humilitate conversatus, contigit, quosdam Fratres de Senis ex obedientia Ordinis ad Conventum ejusdem insulæ venire, a quibus cum interrogasset vir Dei de locis Senensis Provincie, et didicisset, quod ibidem essent loca eremitica ab hominum habitatione remota et ad vacandum Deo plurimum apta, oblata licentia a Superiore suo ad Senensem Provinciam venit, paucis et vilibus pannis indutus, et Fratribus Provincie illius penitus ignotus. Positus est ergo in quodam eremitorio S. Barbaræ, quod non longe distabat a castro S. Floræ, ubi soli Deo vacabat, tantaque dulcedine devotionis cor ejus affluebat, ut plerumque videretur Beatorum agminibus interesse, et beate quietis primum prægustare. Quia vero non cognoscebatur, qualis et quantus esset, imponebantur ei humilia officia domus, quæ ipse cum humilitate et alacritate libens adimplebat, facebat *questuas*, purgabat domum, paropsides, et alia domus utensilia abluebat. Fratres autem considerantes sanctam ejus conversationem, ac verborum edificationem (quæ nonnunquam quasi cum quadam simplicitate ex ore ejus prodibant) libenter eum audiebant. Erat autem ibi tunc Prior, Frater quidam de Senis vocatus Frater Bonus, vir satis venerabilis et prudens, qui considerans ejus bonitatem et consilia saluberrima, eum multum diligebat, delectabaturque de ejus humilitate, morum gravitate, et eloquiorum suorum suavitate. Cum ergo idem Frater Bonus a Conventu S. Barbaræ ad locum S. Antonii per obedientiam Ordinis transferretur, ipsum Fratrem Augustinum secum adducit, quem et sequenti anno factus Prior Rosiæ secum retinuit. In quo loco servus Dei omnibus ignotus divina dispositione factus est cognitus hac occasione. Cum enim Fratres conventus Rosiæ quamdam haberent in curia questionem, in qua jam Fratres succumbent, et de hoc nimium tristarentur, cum ex hoc quamdam possessionem perderent, de qua Conventus multum sustentabatur, voluit Deus lucernam (quæ diu sub modio erat) super candelabrum Religionis ponere, ut lucebat omnibus, qui in ea erant. Videns ergo vir Sanctus Fratrum animos turbatos, et cognoscens, Fratribus magnam injuriam fieri;

Procuratorem adit, petens sibi licentiam, occulte dari necessaria ad scribendum. Procurator vero deridebat eum, ignorans quod sciret scribere, vel legere. Ipso tamen perseverante in petendo, porrexit ei calammum, chartam, et attramentum, qui secedens ad partem, scripsit verba pauca, licet sententia multa, quam scripturam reddidit Procuratori adversario exhibendam, quod et factum est. Cum adversarius, scilicet dominus Jacobus de Pagliaresis hanc scripturam legeret; verborum paucitatem, et sententiæ virtutem prægnantem considerans, ait: Diabolus, vel Angelus, vel dominus Mattheus de Iterano, cum quo ego fui studens Bononiæ, qui mortuus est in conflictu domini Manfridi Regis, hanc scripturam condidit. Ipse quippe ante ingressum Ordinis Mattheus vocabatur, sed in ingressu accepit nomen Augustini, et audiens a Procuratore, quod quidam Frater rusticus et ignarus eam scripsit: Non, inquit, est ita. Et statim accessit ad locum Fratrum in Senis, interrogavit, quis esset hujusmodi Frater, et cujus patriæ, et qualiter accesserit huic. Et responsionibus cognitis, suis conditionibus suspicatus est, esse illum, qui erat. Et statim Rosiam pergens, et inveniens quem mortuum aestimabat, admirans ejus humilitatem, ruit in amplexus ejus et oscula, lacrymas continere non valens. Cumque rogaret eum vir Dei, ne eum prodeundo pacem suam perturbaret, ille nullatenus acquiescens, ad Fratres ait: Fratres, habetis thesaurum occultum. Hic est enim melior homo mundi, teneatis ergo eum, ut deceat; sed et questio vestra terminata est pro vobis. Cæperunt ergo eum Fratres honorare, et sibi reverentiam exhibere. Sed vir Dei vera humilitate fundatus, et homines, et omnem reverentiam respiciens, priora epra servilia non dimittens, omnino sicut prius manebat. *Spec. Exemp. ver. Hum. exempl. xxv.*

## EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius aiebat, omnes domesticos sibi ad virtutem exemplo atque incitamento esse, neque quemquam præter se unum sibi displicere. Item illud sibi a Deo petendum esse, ut cadaver suum post mortem volucris et feris dilaniandum obijciat. Nam ut ipse sterquilinum et detestabile omnino sit, non aliud ab ipso expectari posse. Alias dicebat, persuadere se sibi non posse, hæc duo simul

conjuncta in ullo hominum, et in Deum aequè esset ingratus, et tot tamque magna quotidie ab eo beneficia acceperet. *RIBAD. l. V. vit. c. III. P. Jacobum Eguiam, eo quod ipsum supra ceteros Sanctos extulisset, per tres dies quotidie ter se flagellis cadere jussit; et cum neque sic eum laudare cessaret, ei confiteri amplius noluit. Ib. l. V. c. 1. Nostros alio missurus hortabatur, ut humilitate et contemptui sui ad ardua viam munirent. Gloria S. Ign. c. XIV. In formula Instituti dixit: Revera hoc Institutum humiles et prudentes requirit. In Bull. Pauli III.*

S. Franciscus Xaverius se nequissimum omnium mortalium judicabat. Proficiens in Europam, sociorum equos curabat, Goæ Episcopi genibus advolebatur ipse Legatus Apostolicus. *Vita l. VI. c. VIII. Sui contemptor unicui non minus laudem et honorem, quam alii vituperationem et dedecus, horrebat. A sociis petiit, ut ipsum doceant modum Ethnicos convertendi. Lib. I, ep. 1. Ibidem se vocat pulverem, cinerem, omnium perditissimum; ait etiam sibi revelationem a Deo, sociorum precibus et meritis permotum dare ei tantam gratiam. Ep. v. Ne ob miracula patrata magnifieret, partim ex his locis profugit, partim rogavit, ut miraculum tacerent, partim ipsorum egrorum, puerorumque, quos mittebat, fidei ea adscribebat. Vit. l. II, c. VII. Negabat, quemquam germanum societatis alumnum esse, ac Deo fideliter operam navare posse, nisi contemptorem sui, et de ipso suisque rebus abjecte demesseque sentientem. Vit. l. VI, c. VIII. Ad Goanos scribens aiebat: Oro vos aique etiam obtestor, ut in abjectis atque humilibus officiis Dæmonem egregie superare nitamini. Et iterum: Diligentem colite humilitatem, atque in omnibus rebus, a quibus natura abhorret, vos ipsos vincite. L. III, ep. v.*

S. Franciscus Borgias se peccatorem in literis subscriberebat. Sub seculari adhuc habitu jam Societati per solemnia vota adscriptus, inter studia Theologica theses confusiois composuit. Ex nihilo factus sum, ad nihilum redactus sum. Quid sim, ignoro. Si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse. Problema: Ex me ipso facio nihil. Defenduntur die crastina a prandio, 1549. *Hist. Soc. p. 1, l. IX, n. 89. Se Juda pejorem esse putabat, et infra Judam locum sibi esse convenientem. Duas*

minimum horas quotidie impendebat sui cognitioni, quasque legeret, audiret, videret, eo omnia referebat, ut erudirent, demissionemque ac pudorem incuterent. Her agens duos prodromos, cognitionem sui et inferni contemplationem, præmittens, per eos omnia diversoria sibi bellissime apparari dicebat. Estrato surgens, humo ter osculum fixit, ut ex pulvere se constare, et in pulvere rediturum se meminisset. Purpuram a se multis precibus et gemitibus amolitus est. *Vit. l. IV, c. 1, n. 4.*

B. Aloysius nihil unquam dixit aut egit, quod ad laudem suam cederet. Vel ad suspensionem suæ laudis erubescerebat. Immensum quantum vilissima quasque illum delectabant. Tanta se humilitate tractabat, ac si ex mendicatis sordibus sublatus, majorum gratia in Societatem receptus foret. Dolebat, se vehementius a Superioribus, quam alios amari. Optabat infimæ classis Grammaticæ pueris rudimenta tradere. In nulla virtute plus studii, quam in humilitate ponebat. Hinc ista ejus ad sanctos Angelos oratio: Oro vos, Angeli beati, ut auxilio vestro quasi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primum instituitis, ut post hanc vitam una vobiscum æterni Patris faciem contemplari merear, et reponi in locum alienius stelle, olim per superbiam de celo lapsæ. Amen. *Vit. l. III, c. XIV.*

Petrus Faber ob humilitatem suam summis, mediis, infimis amabilis admirabilisque fiebat. Rogabat Deum, ne ob suas imperfectiones Dei gloria, vel proximi salus impeditur. Optabat sibi et sociis, ut in Societate Christi scopæ esse, et appellari vellent. Cum pueris et hominibus tenuibus libentissime agebat, quia intellexit, Deo gratissimos esse labores pro his susceptos. *Vita, l. II, c. XII. Guidam viro, qui se Societati adjunxerat, hæc monita dabat: Sta in ultimo loco, quamdiu poteris. Sectare vilissimam et abjectissimam officia, ex his enim gradum optimum in Christo crucifixo tibi acquisieris. Lib. II, c. XIII.*

P. Jacobus Eguia, vir sanctus, et magni a S. Ignatio, cujus erat confessorius, habitus, dicere solebat frequenter: Qui existimat se aliquid valere, valet parum; qui vero se putat valere multum, is valet nihil. *Hist. Soc. p. 1, l. XVI, n. 56.*

P. Franciscus Villanova, 34 annorum in Lusitaniam missus est, litteras a grammatica orsus, in quibus tamen ultra dialecti-

cam progredi noluit. Rector Compluti fere semper in culina agebat. Nolebat fieri Sacerdos, nisi his ex obedientia jussus esset. Inter Professos ut adscriberetur; nunquam persuaderi potuit. Dialecticæ operam navans, nescio qua voce condiscipulum offendit, qui continuo Villanovæ colaphum infixit, sed ipse mox ad genua provolutus veniam petiit.

P. Andreas Oviedo cum ei Episcopus Jerosolymitanus nuntiatus esset, ita consternatus est, ut statim S. Ignatio scriberet, se in omnibus quidem obediturum, hæc una in re non posse, se proin Pontifici scripturum, ejus tamen jussu suscepit munus.

P. Thomas Sanchez ut novitium primi anni se per totam vitam gessit, et ita haberi ab omnibus voluit. Plenus aliquando spiritu petiit a P. Provinciali, ad Novitiatum per aliquot menses remitti, eo quod minime Religiosus esset, sed secularis, et maxime animo dissipatus. Ita per aliquot menses ut novitius in novitatu vixit; quin immo post quodvis postea triennium eodem modo ad novitios rediit.

Franciscus Suarez, cum ad summum litterarum fama que vestigium pervenisset, candide fatebatur, nulla animi elatione se moveri, quod sciret, plurimos esse rusticos, qui doctiores evasissent, si iisdem a Deo auxiliis fuissent adjuti. Indignum se aiebat, qui infimi coqui munus obiret. Magister et oraculum cum esset, sæpe tamen suos discipulos consulebat, suos libros eis censendos offerrebat, et si quod in illis censura dignum judicaret, pari facilitate mutabat. Gravisimas persecutiones, quibus apud Pontificem, ut novitatis amans et temerarius accusabatur, tam patienter ferebat, ut nunquam vel unicum amarulentum verbum, aut vindictam redolens emitteret.

P. Antonius Suquet, Rector cum esset, detrita ac sordida lacerna quandoque indutus in triclinio mendicabat. Frequens mense ministrabat, lances tergebat, ollas purgabat, et cum esset Provincialis, neminem ferebat secum nudo capite agere. *Vita m. s.*

Paschasius Broetus dicebat, se viginti annis humilitatem a Deo petiisse, et tamen parum adhuc habere, sæpeque Dæmonem sibi ante faciem stercorea projicere. Unde Dæmon eum propter hanc humilitatem adeo fugit, ut eum Laurenti a nullo ejici posset, Paschasio templum ingresso clamaret: *Hunc time!* et mox aufergit. *Hist. Soc. p. II, l. VI, n. 94. Lutetiam tendens, cum in agro triginta*

homines eum pannostum conspicati luabrio haberent, convitiis onerarent, et simulatorem deceptorumque magnis vocibus appellarent, quasi ad jucundam symphoniam hanc innoxiam tandem constitit, quousque illi finem facerent. Et dum demum placidissimo vultu quasi grates acturus dixit: Deus vobis benigne faciat, o filii, ac benedicat! Simulque cruceam manu formabat. Qua illi mansuetudine emolliti, ad pedes ejus se prostraverunt, veniamque petiverunt. Idem.

P. Hieronymus Carvallis Conimbricæ solebat sub gradibus jacere, ubi tyrones ultro citroque commebant, beatum se dicens, ibi se esse, ubi ipso procurrente terrestres Angeli transirent, quorum et decidendum pulverem beneficii loco, studiose captabat. *Vit. m. s.*

P. Joannes Nunnus dicebat, se male totam vitam in catena transigere, quam Patriarcham Æthiopiæ fieri, quem tamen postea ex obedientia suscipere coactus est. *Hist. Soc. p. I, l. XIV, n. 146.*

P. Franciscus Perez tantæ erat humilitatis, ut ipse S. Franciscus Xaverius diceret, se nulli rei ita invidere, ut Perezii humilitati. Qui postea cum tanta sanctitatis opinione mortuus est, ut Ethnici etiam dicerent se, si Ethnicus esset mortuus, eum pro Deo culturos, et templum illi edificaturos fuisse. *Annua Ind. Or. 1583.*

P. Christophorus Gonsalvus cum in cursu magnam sibi laudem et opinionem comparasset, effectus, ut alii putarent, parum ipsum scire. Propter quam humilitatem ad sui victoriam et excelsum orationis donum evectus est. *Vita P. Alv.*

P. Petrus Burgundus, annorum septuaginta duorum, ordinarius lector mense erat, coquo quotidie in lignis comparandis, scutellis lavandis, licet viginti gradus ascendendi essent, inservit, donec paucis ante mortem mensibus omittere jussus fuit. *Ann. Rh. coll. Trev. 1398.*

P. Joannes de la Placa ex animo se omnium minimum reputabat, et tam magnum peccatorem, ut quotidie trigessesimo se Convertere nos, Deus, etc. diceret. *Coll. Mexic. 1602.*

P. Balthasar Alvarez, etsi in collegio, quod regerebat, viri graves valde religiosi eum pro rudi, illuso ac decepto haberent, ideoque scripta sua omnia Visitatori tradere jubebatur, immo multa etiam falsa ei obicerentur, omnia tamen dissimulabat, et cum

magna humilitate supportabat, dicens, non esse perfectam humilitatem absque humilitione, neque patientiam absque vehementibus congressibus et præcipuam virtutis partem in eo consistere, ut quis talibus occasionibus et opportunitatibus uti non negligat, et ipsum perfectum maxime in eo consistere, ut quis noverit se bene humiliare, tolerare, tacere, exponendo etiam periculo honorem et existimationem propriam propter Dei amorem. Id quod suo exemplo confirmavit, dum in publica Congregatione ob grave aliquod delictum falso ipsi imputatum reprehensus tacuit, et propterea copiosus a Deo favores accipere meritus est. *Vit. c. xl, S. 1.*

P. Bernardinus Realinus ita sui ipsius in omnibus contemptum querebat, ut sæpe indigna se agere sit visus, quo magis suum in illis hominibus fastidium ac nauseam declararet. Verba sua sedulo pensabat, ne quid unquam proferret, quod in laudem suam cederet. Dum novus Rector advenit, ut omnes ei de se aestimationem adimeret, totius fere vite, aut certe potiora peccata eidem explicabat. *Vit. c. xviii.*

P. Martinus Delrio post adeptam in jure Doctoratus lauream, post scriptos legum commentarios, post supremum Brabantie senatum, Philippo, Hispanie Rege, jubente gestum, post jus Palatinis militibusque diu dictum, post Cancellarii regique fisci Præfecturam, Societatem ingressus absoluto novitiatu trigessimum secundum agens annum, cum juvenibus Dialecticæ cepit insudare, nec prius desistere, quam triennalem cursum absolvisset. Deinde Sacerdos factus Tornaci sæpe in lacera et detrita veste oconomum comitabatur, et, quæ ille emerat, stupente civitate per mediam urbem ad collegium deferebat. Immo etiam ad mensam legebatur, et voces accentusque ad correctoris arbitrium publice repetere et emendare solebat. *Vit.*

P. Franciscus Cordubensis, filius Ducis Cardonæ et Segovie, Rector item Salmanticensis Academiae, Societatem ingressus in Philosophie cursu omnia sua legebatur. Et cum aeris esset ingenii ac judicii, sæpe studio inepta aliqua dicebat, ut stultus haberetur. Hinc discipulum, qui vere credebat, illum talem esse, et propterea irridebat, et vexabat, præ reliquis amavit, eique se associavit. *Vit. P. Alvar. c. xxx.*

Christophorus Gonsalvus, quia magan

laude studebat, ideoque vana gloria tentabatur, ineptis questionibus et responsonibus studio datus effectus, ut palatium omnem de illo opinionem alii deponerent eruditionis. Sed ab illo tempore ad excelsum orationis donum et conjunctionis cum Deo pervenit (*v. n. 17.*) *Vit. P. Balth. Alva. 46.*

P. Antonius Bellos splendide in sæculo uxoratus, et Societatem dein ingressus cum pueris in scholis grammaticam repetere, quam privatim maluit, immo cum iisdem etiam disputare non horruit. *Ann. Tolet. coll. Biblii. 1614.*

P. Hieronymus de Zagoroza grammaticam 36 annis, Hispani, P. Nicolaus de Russ. 27 docuit Cordubæ; P. Michael de Rayno 20, P. Joannes Alphonsus 22, Madriti; P. Ildephonsus Munnoz 26, omnium voce sanctus, P. Robertus Caisotus sexagenarius jam senex summo studio contendit, ut rudimenta docere posset, et obtinuit. P. Melchior Vitrimontanus 20 annis rudimenta docuit. *Annua Prov. Tol. Col. Mant. 1614. Madr. 1586. Orpesan. 1612. Ann. Tolos. Coll. Mauri. 1610. Mon. Col. 1616.*

P. Joannes Baptista Martinez emeritus jam senex, socii loco cum Patribus adagrosibat. *Coll. Carac. Prov. Tol. 1634.*

P. Laurentius Brixianus annorum 76, ultimis quindecim annis solus triclimum curavit, et semper super mensam legit. *Annua 1668.*

P. Bernardus Colnagus, publicus Neapolis Theologie professor, postquam cum facultate Superiorum vestem centonibus consutam, a qua natura illius valde abhorrebat, per primarias urbis plateas portavit, ideoque ab aliquibus in insaniam eccidisse iudicatus est, a Deo copiosissimis donis remuneratus et honoratus est. *Lanc. opusc. VIII, s. iii, n. 19.*

P. Antonius Madridius, publicus Philosophie in Academia Salmanticensi professor, in Societatem admissus, statim jusus est a collegii Rectore cribro aquam e publico fonte petere, ut, quo plura afferebat doctrinæ et auctoritatis ornamenta, eo firmiora poneret humilitatis et obedientie fundamenta, et ille alacriter et obedienter progressus, ea notos admiratione percenit, ut quidam prope sanctum, alii plane stultum, existimarent. Nihil avehat ardentius, quam summe ab omnibus despici, pessimeque tractari. Quod cum minime succederet, abjicere ipse sese, ubique pro nihilo ducere,

nullamque præmittere occasionem, qua sui amorem, quasi capitalem hostem, vexare ac suffigere cruci posset; hinc doctrinam tegere, imperitiam atque subrusticam affectare locutionem, libenter cum infimo quoque agere, attrito atque vili vestitu plurimum delectari solebat. *Hist. Soc. p. ii, l. VII, n. 74.*

P. Joannes Berchmanus dicere solebat: Si non sum humilis, sum inutilis Societati. Hinc statuit toto anno incumbere humilitati, ut ordinate procederet in sanctitatis domo edificanda, incipiendo a fundamento, et quia nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus. *Vit. p. iv, pag. 243.*

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut gemma pretiosa affixa in diademate Regis, nisi affixa teneretur, statim in terram corrueret; ita et humilem animum sola vis obedientiæ et voluntas Dei in loco superiore tenet; alioqui mox iterum in terram, et nihilatis suæ abyssum relapsurum. *JAC. ALV. de Hum. p. iv, c. vi.*

Sicut si per ostium transiens, cujus superliminare nimis bassum sit, quantumcumque te inclinaveris, non nocet, nocet autem vel maxime, si vel transverso digito te altius, quam ostii spatium aperuisset, erexeris; sic in anima non est timenda quantalibet humilitatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temere presumpta erectio. *S. BERN. 537 in Cant.*

Sicut vinum non nisi dilutum aqua bibunt, qui temperantiæ magis sunt amantes, ne forte, si purum biberint, caput petat et rationem offuscet; ita viri sancti et humiles dona Dei non sola attendunt, ne caput nimia sui æstimatione perturbetur, sed etiam dona illa aliena esse, et cum usuris olim exigenda mimerunt. *JAC. ALV. p. iii, c. iv de Hum.*

Sicut arbores et spica, quo magis fructibus onustæ sunt, tanto profundius se inclinant; ita viri sancti, quo pluribus virtutibus ornati sunt, tanto profundius se humiliant. *S. DONOR. in ser. de Hum.*

Sicut ad solis adventum omnes stellæ absconduntur; ita ad humilitatis ingressum in animam omnes reliquæ virtutes occultantur. *RODR. p. II, tr. III.*

Sicut si rex apud aliquem suum thesaurum custodiendum deponit, is illum non ut suum reputat, sed ubique fatetur inopiam

suam, nec audeat dispergere quiddam ex alieno thesauro; sic ejusdem debent esse sententiæ, qui gratiam Dei sunt adepti, nempe ut humiliter de se sentiant, et mendicitatem suam confiteantur. *S. MACARIUS, h. xi.*

Sicut torrens in hyeme aquis abundat, in æstate deficit; ita humilitas prosperitate minuitur, adversitate augetur. *S. LAUR. JUST. op. Rodr. p. II, tr. III, c. xiv.*

Sicut aurum adulterinum ignis absument, bonum autem purius efficit; ita humiles aliorum laudibus humiliores, superbi elationibus efficiuntur, et omnino evanescent. *S. GREG. XXI Mor. c. ix.*

Sicut stella in se magna, modica est in apparentia; ita humilis, licet coram Deo magnus, minimus tamen in suis oculis appareat. *STAPL. in Dom. iv, post Pent. them. 5.*

Sicut vasa vacua magis resonant, quam plena; ita quibus parum virtutis inest, multum se jactant et gloriantur, secus vero, qui humilitate aliisque virtutibus pleni sunt. *Ibid.*

Sicut pueri homine conspecto, nihil, nisi hominem cognoscent, non autem vestem aut dignitatem respiciunt; ita viri humiles res ipsas, ut a Deo sunt, considerant, non vero, ut mundi vanitas eas depingit. *Ibid.*

Sicut avicula recenter ex ovo suo exclusa, implumis adhuc et victum querere nescia, hoc unum remedium habet, ut assiduo clamore a matre foveri petat; ita anima, per peccatum originale omni virtute spoliata, assiduis precibus et humilitate opus habet, ut a Deo foveatur et alatur. *Idem in Dom. xv, post Pent. them. 7.*

Sicut apes, quando aeris motus suspectos habent, lapillis libratis per inania se librant, ne leve alarum remigium præcipitent flabra ventorum; ita humiles, qui a vanæ gloriæ vento sibi liment suarum culparum consideratione assumpta, mentis suæ cogitationes librant, ut quantum vana laus elevare potuit, tantum alia deprimat. *S. AMBA. I. II, de Virg.*

Sicut e vasis liquorem aliquem recipientibus aer inanis expellitur; sic qui in Philosophie, vel potius humilitatis studio viris implentur bonis, fastum exuunt, mitioreque de se concipiunt opinionem. *PLUTAR. in lib. de Prof. morum.*

Sicut sol, cum altissime in Zodiaco proventus est, tum tardissimi motus est; ita quo fortuna te subverxit altius, hoc oportet

animo leniori mitiorique esse. ROTEROD. de *Institut. Princip.*

Sicut Rex aliquis sapiens et potens filiam primogenitam, quam unico diligit, dum solemnem pompam in urbem aliquam ingressum adornat, non imponit equo ferocenti, sed mansueto et tractabili; ita Deus gratiam primogenitam in virtutibus, dum in animam ingredi et pro dignitate coli ac haberi vult, illam humilitati, velut mansueti iumentum dorso, insidere vult, ac perpetuo sibi comitem retinere. PENNEQ. p. II. *Isag.* c. XVIII, n. 5.

Sicut si phiala crystallina radiis solis illuminata pulchritudinem, quam ab illorum radiorum collustratione recipit, insuæque industriæ tribueret, graviter insoleceret, et quod suum non est, stulte sibi arrogaret, multum accresceret ejus impudentia, si non tantum lucem, sed etiam substantiam suam a sole accipisset; idem nobis accideret, si de aliquo gloriaremur, qui omnia a Deo accepimus, et ex nobis sumus mera privato omnis boni. Idem, disc. I, n. 5.

Sicut stella quanto altius in cælo situatur, tanto minoris apparet quantitatis; ita quanto vis major est in gratis apud Deum, tanto minoris debet apparere vanitatis, et majoris humilitatis. *Summa prædic. apud Mansi* disc. XIX, n. 8.

NECESSITAS. — Sicut is, qui magnas et magnificas aedes est ædificaturus, conveniens facit fundamentum, ut eam, quæ postea imponetur, possit ferre molem; ita nimirum etiam Christus, cum ingens illud ædificium Philosophiæ in illorum animabus erigeret, tanquam fundamentum, et basin firmam et immobilem, cohortationem humilitatis ponit prius; cum probe noverit, postquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera edificari tuto posse. S. CAYST. in *serm. Paul. vocatus*.

Sicut de terreno fonte, et corporali fluvio non potest aliquis bibere, nisi se voluerit inclinare; ita et de vivo fonte, Christo, et S. Spiritu fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. S. CESAR. ARELAT. h. XXIV.

Sicut vinum citius virtutem perdit, si clausum in vase non steterit, sed evaporare poterit. Similiter aromata, si teneantur

aperta, perdunt virtutem et efficaciam. Similiter ignis cito extinguitur, nisi cineribus cooperiatur; ita homo cito omnia bona perdit, nisi ea sub humilitatis cinere cooperiat; sic enim per humanam laudem evanescere possent. S. BONAV. s. de *uno Confess.* Id quod Isaias Abbas ita elocutus est: Sicut vinum, nisi in locis subterraneis aut vasis fictilibus conservetur, evanescit et accescit; ita omnes hominum labores vani sunt, nisi in humilitate conserventur. ISAIAS *Abb. orat. XII de Vino*.

Sicut dolium, nisi pice undique illitum fuerit, vinum non potest continere; ita, nisi cor humilitate et castitate muniatur, et nullas habeat vitiorum rimas, Dei non potest esse domicilium. *Ibid.*

Sicut arbuta levi vento concutuntur et evelluntur, nisi firmam in solo radicem fixerint; ita, qui in humilitate bene radicatus non fuerit, quovis detractionis aut contradictionis vento facile turbatur et destruitur. S. GAEG. I. VIII *Mor.* c. XXXV.

Sicut pistior, nisi velaret oculos iumentum ad molam circumventis, hoc ad frumentum se converteret, laboresque absumeret; ita, nisi homo sibi ipsi per humilitatem oculos velet, ne videat bona sua, per vanam gloriam ac complacentiam destruet illa. *Vit. PP.* I. V. *libell.* xv, n. 80.

Sicut flos ita a radice dependet, ut, si illa truncetur, hic exsiccat; ita virtus, quæcumque demum illa sit, si in humilitatis radice non perseverat, statim exarescit. *Rom.* p. II, tr. III, c. II.

Sicut vestem pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias provocamus; si vero domi recondamus, in tuto cuncta servabimus; sic, si opes virtutum palam quasi venales assidue portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum; si vero nemo alius id severit, nisi quem nulla ocellula latent, tutissimo in loco consistent. S. CURYS. in *Matth.* hom. III.

Sicut corpus, sive calori, sive frigori obnoxium sit, vestimento indiget; ita et anima perpetuo humilitatis indumento habitumque indiget. S. EPI. de *Vit. spir.* c. LXIV.

UTILITAS. — Sicut quo plus demis de quantitate continua, v. g. ligno, tanto magis quantitas discreta, seu numerus, augetur; ita quo minus sibi per humilitatem homo attribuit, tanto magis gloria divina crescit. EUS. NISER. in I, de *Adorat.*

Sicut fractus aut detritus nummus diffi-

cultus accipitur, si solitarius sit, secus vero si in magna quantitate immixtus offeratur; ita si quis, licet vilis, sociorum bonorum numero magno jungatur, minime displicebit Deo, aut rejicietur ab eo. *Hist. Soc.* p. I, l. XVI, n. 92.

Sicut ignis dum conservatur in cinere, ita charitas in humilitate, quæ, ut aliarum virtutum, ita charitatis custodia est. GRAN. f. 613, *Vid. Humil.*

Sicut omnium ferarum venenatarum sensibilibus interemptor est cervus; ita intellectualium ferarum interfectrix est humilitas. S. CLIM. gr. XXVI.

Sicut fulmen dura et obsistentia sibi diruit, blanda vero et sponte cedentia non lædit; sic Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. GRAN. V. *Humil.* f. 614.

Sicut servus vilitatis suæ conscius nullum domini sui imperium recusare audeat; ita nec, qui vere humilis est, Dei mandata violare præsumet. *Ib.* f. 615.

Sicut prima cura ejus, qui ceram vel ferrum in varias figuras transformare desiderat, in eo ponitur, ut materiam emolliat; ita quicumque mores suos ad Evangelicæ legis formam transformare capit, animam virtute humilitatis mollire debet. *Ibid.*

Sicut valles aquosæ sunt fructuosæ, umbrosæ, et calidæ propter solis ardorem magis conclusum et aquarum defluxum, propterea vicini montes; ita animæ humiles propter charitatis decursum, ejusdemque conclusæ ardorem et vicina Sanctorum exempla, quæ intuentur, sunt perpetuo honorum operum ac virtutum feraces. STAPLET. in *Dom.* IV, *post Pent.* them. 5.

Sicut materia prima omnium formarum capax est, quo autem quæque materia plures jam habet formas, tanto pauciorum est capax; sic anima humilis nihil sibi attribuens omnium cælestium gratiarum capax est, et sic tabula rasa omnes a Deo figuras capit. *Idem*, in *Dom.* x, *post Pent.* them. 8.

Sicut homo liberalis maxime delectatur eorum consortio, quibus se liberalem prestare potest, et sicut fontes et flumina non per æcliviam decurrunt, nec montes petunt, sed per decliviam et valles labantur; sic omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum descendens a Patre luminum, in humiles, non elatos animos cadit. *Ibid.*

Sicut natura indagatores fontem esse aiunt, in quem accense faces immerse ex-

tinguntur, extinctæ accendantur; ita Deus arrogantes, spiritu superbiæ accensos, inanes et egenos efficit, humiles vero tanquam incognitos et omnium egenes suis donis gratisque locupletat. BEHLING in *fest. S. Jacob.* them. 1.

Sicut remora, licet parvus sit pisciculus, maximæ tamen navis cursum in medio oceano sistit; sic oratio animæ et Deum iratum placat, et Dæmonis tentantis vires, ne ulterius progrediantur, cohibet. *Ibid.*

Sicut natura non patitur vacuum, quin illud repleat, sic nec gratia humilem, quin se illi infundat. Humiliare, o homo Dei, evacua cor timore elationis, quia tanto perfunderis abundantiori gratiæ suavitate, quanto mundior fueris a fœce presumptionis. S. LAUR. *Jusr. de Ligno Vit.* c. III.

Sicut, si quis puteo profundo circa meridiem versaretur, facilius inibi stellas contemplari, aut ad minus magis limpide cælum intueri poterit, quam quicumque alius supra altum existens montem; ejus hæc ratio est, quia, cum nulla lux oculos circumdat, quo mediante virtus visiva dispergitur, consequens est, ut eadem potentia magis confortetur, ad respiciendum procul dissita; et contra vero alius, qui virtutem visivam disgregatam habet, nihil tale videre possit; ita quoque in presenti dicere possumus, quod, quanto quis se profundius per virtutem humilitatis demittit, tanto magis dispositus sit, ut bona cælestia videat, majoremque Dei et sui ipsius notitiam acquirat, talis enim in proprio nihilo concentratus est, neque a bonis terrenis divertit. Unde Sanctus Thomas de Villanova ait: Hæc sola virtus omnium donorum et gratiarum capax animam facit. Unde, Jacobo teste, humilibus nobis Deus dat gratiam. *MANSI*, disc. v, n. 8.

Sicut museum in locis fetentibus recuperat odorem; sic humilitas fragrantior efficitur, cum quis considerat propriam vilitatem. S. BON. in *Diet.* tit. VII, c. 1.

Sicut, qui thesauros effodit, terram rejicit, foveam in altum facit; sic qui thesauros sapientiæ reperire desiderat, in se foveam agat. S. LAUR. *Jusr.* l. c.

DIGNITAS. — Sicut habet multitudo vitiorum regem, seu reginam, superbiam; sic virtutibus regina est humilitas, quia dicitur hæc caput sive primatus virtutum cæterarum, eo quod initium est et prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur et, quoniam

ipsa a fidelibus habita, custos est omnium virtutum, cum sine ipsa omnes virtutes debiles sint et inutiles; sicut a capite, quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur, quo ablato totum corpus inutile est et quasi truncus, exanime. S. BACON, in Ps. CXVIII.

Sicut ignis, ut in sublimem flammam exurgat, prius deprimi multum per flabellum debet; ita humiliari nos prius oportet sub manu potenti Dei, ut nos exaltat in tempore visitationis. STAPL. in Dom. X, post Pent. them. 8.

Sicut cyphra, quæ nulla dicitur, in se quidem nihil valet, verum postpositam in numeris æquivalet numeris, atque ingentem valorem addit; ita humilitas, licet in se vili videatur, juncta tamen virtutibus aliis, ingens pretium isdem addit. Idem, in Dom. X, post Pent. them. 8.

Sicut species aromaticæ, cum in pulverem rediguntur, vehementer redolent; ita hominis bona, cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo gratiora redduntur. BEROALD. in Summ. virt.

Sicut magistro singulare solatium est, si discipulos suos in ea arte, quam proficitur, bene proficere advertat; ita non potest Christo summopere placere, si nos in schola et arte humilitatis, quam specialiter is professus est, insignem facere progressum non advertat.

Sicut si Princeps aliquis diceret, se deinceps stabularios præ omnibus aliis famulis dilecturum et remuneraturum, omnes stabularii officium ambirent, et gauderent, quod neque Cancellarii, neque aliud altius munus ipsis obtigisset; ita, cum Christus verbo et facto promulgarit, se eos, qui vilia munera ex humilitate obeunt, præ aliis amaturum et præmiaturum, merito quisque hæc munera studiose ambire, et cum gaudio suscipere deberet. Idem.

Sicut muscum, quo occultius est, tanto fragrantiores de se odorem emittit; ita virtus, quo magis per humilitatem absconditur, tanto amplius ab aliis æstimatur et laudatur. S. BOX. p. I, de inf. Novit. p. I, c. XV.

Sicut arbor odorifera, licet fructus foliis tegat, facere tamen non potest, quin odor diffundatur; ita, licet humilitatis virtute velut foliis quis opera sua bona occultare velit, efficere tamen vix poterit, quin odore suo, id est bonitate, se prodant.

ÆQUITAS. — Sicut, si medicus plures alicui et delicatioribus cibis offerat, æger ex hoc potius humiliandi se, atque deteriore alii æstimandi, occasione accipit; ita, si Deus plures cuiuspiam consolationes aut alia dona offerat, non superbia, sed dimissionis causam habet. LANGIZ. opusc. VII, fol. 581.

Sicut, qui ab aliis adjutus, et in manibus aliorum gestatus non ruit, non propterea preferre se aliis potest, qui sine adminiculo titubant interdum; et sicuti filius prodigius alteri seniori se non antepositum iudicavit propter vitulum sui gratia maectatum; ita nec justus rarius cadens, aut alias gratias extraordinarias accipiens, propterea se aliis sæpius cadentibus, aut pauciores gratias accipientibus anteponebat. Idem, fol. 589.

Sicut non exigua est deformitas, si in pretiosa tela aurea, fila aliquot rudia inserantur; ita non exiguus defectus est, si mixtura propriarum cogitationum, verborum et operum, quæ nos assumimus, eas, quas Deus inspirat, deformemus. Idem, l. c. fol. 389.

Sicut, si ex fructibus arboris vix unus aliter bonus reperitur, non propterea arborum bonam dicimus; ita nec si inter fractas vitæ nostræ interdum bonum aliquod opus inveniatur, ullam propterea quis superbiendi causam habet. Ibid. et in Vit. P. Balthas. Alv. c. XXXIX, § 1.

Sicut, si multi pretiosas res et odoriferas portant, non propterea multi esse desinunt; ita nec, si quis Personam Christi sustineat per superioratum, aut alia dona acceperit, propterea perfectior censi debet, quam in animo sit. Ibid., fol. 593.

#### MOTIVA.

Christi voluntas verbis et exemplis monstrata, uti S. Petrus Damianus commendavit, his verbis: O gloriosa humilitas, per quam homo vere discipulus efficitur Salvatoris! Qui idem in sermone quodam de S. Michaelæ significantius loquens dicit: Hæc sola virtus virtutum nutrix, quam solam in Virgine Matre respexit Altissimus, cuius, quando conversatus est in terris Filius Dei, et executor extitit et Magister. S. PERR. DAM. l. II, op. XIV, et ser. de S. Michael. Hinc Beata Angela de Fulgineo sic loquentem introducit: Discite a me, non ab Angelis, non ab Apostolis, sed a me, cuius

humilitas tanto major, quanto Majestas mea sublimior. Discite a me, non dixit jejuna, quamvis ad exemplum nostrum quadraginta diebus et noctibus jejuna verit; nec dixit, discite mundum spernere, nec in paupertate vivere, quamvis ipse in maxima paupertate vixerit; nec dixit, discite a me quomodo ecelum feci; nec dixit, discite a me miracula facere; sed hoc solum, quia mitis sum, et humilis corde; quasi dicat: Si non factio et opere vobis humilitatis exempla monstraverim, nolite credere mihi. BOLLANDUS, 4 Jan. Et similiter Sanctus Bernardus: Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderit mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus et femina, ille potentie, illa scientie; vos autem æmulamini charismata meliora, discentes a me, quia mitis sum, et humilis corde. S. BERN. ep. XLII.

Necessitas; tum quia, teste Joanne Abbate, humilitas est fundamentum primum omnium virtutum, in qua omne ædificium spiritale constructum crescit in templum sanctum in Domino; tum quia sine humilitate nullus penitus vitii poterit triumphus acquirit. Et teste Cassiano, id quod S. Antonio clarius ostendit Deus, dum mundum laqueis irretitum monstravit, et ad questionem: Quis evadet? respondit: Humilis. Nempe humilitas est similis acuto gladio, qui defendit et vincit omnes inimicos, et a quo Diabolus fugit, ut S. Maria Magdalena de Pazzi, dicere solebat. Vit. p. IV, c. XIX. Quod confirmans S. Gregorius dicebat: Uti origo virtutis humilitas est; ita illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat, a qua nimirum, si absconditur, arescit, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit. S. GREG. l. XXVII Mor. c. XXVII. Hinc et S. Bernardus dixit: Nisi stabile humilitatis fundamentum, spirituale ædificium stare minime potest. S. BERN. serm. XXXVI. in Cant.

Utilitas; quia est radix et causa omnium bonorum, et in qua est posita omnis lætitia, et omnis gloria, et omnis requies; hinc Christus ipse in regula S. Brigittæ proprio ore dictata dixit: Principium hujus Religionis et salutis est vera humilitas. Et S. Chrysostomus, nihil huic virtuti conferri posse, ait; ipsa enim mater, ac radix, et alitrix, et fulcimentum est, ac vinculum bonorum.

Hom. XXX. in Act. Specialim autem duplex est hæc utilitas: Primo, ad orationis facilitatem exauditionem; nam, ut S. Laurentius Justinianus dixit: Nulla potest esse repulsa in oratione, quando hæc deprecantis fuerit socia, et orationis prævia, eo namque mens in oratione erit alacrior, et in contemplatione sublimior, quo in se extiterit abjectior et humilior. S. LAUR. JUST. de Orat. Rationem ulteriorem assignans S. Hieronymus: Quoniam, inquit, nos parvi sumus et humiles, et non possumus nos extendere et exaltare, propterea Dominus inclinavit aurem suam, et dignatus est exaudire nos. S. Hier. in Ps. cxiv. Unde hæc virtus præcipue necessaria est quiescentibus (teste eodem S. Laurentio,) et Deo per orationis exercitium vacare volentibus, quia nunquam poterit quis Deo veraciter inhærere, si non fuerit hæc virtute munitus. Humilitas enim et charitas sunt due alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur. S. LAUR. JUST. c. II. Lign. vit. Secundo: Utilis est ad tentationes Dæmonis vincendas, ut S. Ephrem invenit, dicens: Humilitatem diligit, et nunquam Diaboli laqueis caperis; velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici rebus capi possis. S. EPHR. de Form. rect. vir. Quod S. Leo exemplo Salvatoris confirmat, dicens: Tota victoria Salvatoris, qua et Diabolum superavit, et mundum humilitate est concepta, humilitate est confecta. Hinc S. Antonius mundum laqueis undique circumdatum videns, querensque: Quis evadet? Vocem de celo delapsam, quæ, Humilis, dicebat, audivit. Ut merito S. Chrysostomus humilitatem murum inexpugnabilem et turrim inconcessam appellavit.

Dignitas; quia nihil gratius Deo est, et hominem Deo gratiore facit, quam humilitas; cum enim natura, teste Cicero, nihil præstantius habeat, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Tusc. III. Et ut S. Bernardus testatur, rationalis creatura adeo affectet gloriam, ut aut vix, aut nunquam, comesci possit ab hoc desiderio; merito rem Deo acceptissimam facere censebitur, si per confusionis actus se fama et gloria privat, et hoc modo genus quoddam martyrii subit. Id quod S. Maria Magdalena de Pazzi hoc modo declarabat: Vita nostre carnis est voluptas et sensualitas;

mors carnis est adimere illi omnem delectationem, et gustum, et domare illam jejuniis, vigiliis et aliis asperitatibus. Vita judicii et voluntatis propriæ est disponere de se et de rebus suis proprio arbitratu; et mors ejus est, submittere hæc judicio et voluntati alienæ per obedientiam. Ita infertur mors appetitui propriæ reputationis et superbiæ, faciendo perpetuo actus humilitatis veræ et contemptus sui et occidendo nos, nec cognoscatur. Et similem mortem sibi inferre debet, quisquis Deo servire cupit.

*Jucunditas*; quam satis ipse Christus indicavit, dum dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *MATTH. XI, 28.*

*Æquitas*. Quid enim æquius, quam ut viles se reputet, et ab aliis reputari viles velit, qui ex se nihil, undequaque viles et humiliatus est? Quam vilitatem pulchre S. Bernardus sequentibus verbis indicavit: Quid modo necesse est, singulas animæ miserias numerare, quam sit onerata peccatis, obsusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, illusionibus impleta, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis et ignominie impleta? Nimirum si ipse quoque justitiæ nostræ omnes, ad veritatis lumen inspectæ, velut pannus menstruatus inveniantur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt, ipse tenebræ quantæ erunt. *S. BERN. in Ded. Eccles.*

*Facilitas*; nam, ut S. Bernardus ait, facile est cuique nostrum, si sua melius universa et sine dissimulatione vestiget, et judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati et libere proclamare: Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. *GAL. VI, 3.* Hinc ipse Christus, postquam ad humilitatem descendam jugumque tollendum invitavit, causam addidit: Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *MATTH. XI, 29.*

#### MOTIVA SPECIALIA PRO SINGULIS GRADIBUS HUMILITATIS.

Etsi in primo § Gradus nostræ Humilitatis breviter sint indicati; quia tamen ii ipsi gradus a S. Benedicto magna ex parte assignati, a quoquam religioso Asceta efficacissimis et utilissimis motivis, praxibus ad usum et commodum omnium humilitatem sedulo discere et practicare volentium illustrati sunt, non ingratum Asectis fore putavi, si illa ipsa motiva et praxis huic loco inserantur.

#### GRADUS PRIMUS.

##### *Despicere seipsum.*

Intuere teipsum, tanquam leprosum a vertice capitis usque ad calcem pedis, horrendis ulceribus plenum, et turpissimum fetorem usqueaque emittentem, et quid aliud est a capite usque ad calcem? Non est sanitas in carne tua, omnia plena peccatis, miseris, sceleribus. Heu! quantum hæc scelerata tua coram divina Majestate fletent!

En quam miser, et vere miserabilis es! Communicasti, jam ubi fructus? Toties, reliqua Sacramenta accipis, ubi fructus? Quotidie meditaris, examinas te, vota renovas, loqueris spiritualia, audis spiritualia; sed ubi fructus? Denique, pro te ipse Filius Dei sanguinem profudit, et tamen cum his omnibus tam imperfectus, tam frigidus es Dei amator! Quam turpis ergo eris, si te tam efficacia balnea sanare non possint.

Vide ergo, quantus sis, compara omnia tua, sapientiam, vires, sanctitatem cum omnibus hominibus, qui vixerunt, et pulvis es; compara hominum omnium, qui vivunt, sanctitatem, et cum illis electos eos, qui in caelis sunt, et nihil erunt. Compara jam omnium Angelorum et hominum perfectionem, cum unica Dei perfectione, et minus nihilo erunt. Compara jam te unum homuncionem cum immensa illa Majestate, Potentia, Sapientia Dei, etc.

Ex omni creatura despicere te potes, aspice quidquid vis, et videbis omnia ad finem, ad quem creata sunt a Deo, toto impetu tendere, eumque acquirere, te vero so-

lum, qui solus novisti, quantus sit ille, qui Deus tuus est, ab illo malitiose te avertere. En quomodo infra omnes creaturas abjicere te debes.

Quidquid aspicias, quidquid tangis, quidquid gustas, ingratitude erga Deum te accensat; ambulat in libertate Dei, quidquid infra te, juxta te, supra te est, hoc vere est palpare beneficia Dei, et tamen erga profusam liberalitatem, heu! quam parvus, quam tenax es! En omnia materiam despicientie tibi dant.

Ex omni actione despicere te potes. Comedis? En miserum! Vivere non potes, nisi comedas. Dormis? Quam hoc bestiale! es ibi, quasi homo non esses. Ægrotas? En debilitatem! Aliquid non intelligis? En ignorantiam! Erras? En impotentiam! Affligeris? Libera te ipsum, si potes.

Vide fragilitatem tuam Si peccandi occasio est, quam tepide resistis! Peccares singulis momentis, nisi Dei manus præservaret. Quam pronus ad omnia vitia! Quam parum properas ad solidas virtutes! Vere ex te nihil, nisi miseria et calamitas, et perditio, et quasi merum ulcus, ex quo nil nisi sanies emanat.

Vide, quam nobile sis compositum; quoad corpus, terræ gleba es, omnium miseris velut gleba expositus, denique putredo et sterquilinum; quoad animam, ipsa ignorantia, in peccatis natus lotus, ad peccata propendens, sepe Demonis mancipium factus, mille hostibus circumdatus, quotidianis peccatis turpiter dehonestatus, et sic minus nihilo es, melius enim est non esse, quam in peccatis esse.

#### PRAXIS.

Hujus gradus continuus potest esse usus, illum tamen fuse exercebis, cum aliquid vacui temporis nactus, paulo fusius esse, posse, et operari tuum, secundum tres differentias temporis considerare potes. Despectio autem hæc esse debet non solum in cogitatione, sed etiam in verbis et opere. Item de te ita loquaris, et ita te tractes, sicut eos solemus tractare, quos contemnimus.

Initio orationis matutine conferens te cum Deo ante sacrum opus ipsum, illum, cui offeritur, et Ecclesiam considerans, cujus nomine offeritur. Ante horas canonicas, et alias quascumque preces; in examine maxime post tertium punctum.

Ante studia attendens tuam ignorantiam, et quod mendicare scientiam a libris debeas.

In mensa considerans, quam vilis sis, qui sine istis vitam transigere non potes, ac proinde ab ipsis dependes, vitam ab ipsis mendicans. Hic etiam occasio est contemneri te realiter, ut scilicet nihil ad voluptatem, sed solum ex quibus tuæ indigentia possis occurrere, expetas.

Quascumque creaturam aspicias, licebit in ea aliquam perfectionem cernere, qua tu ex toto, vel ex parte cares, et aliquid ab ea discere, ex quo ad tui despectionem progredi possis.

Vespero decumbens, et mane surgens, quod tantum temporis sine sensu et operatione quotidie consumere debeas. In recreatione, vel alias, ubi plures conveniunt, studeas per comparisonem tui cum aliis, occasione in despicentia tui proficiendi arripere. Singula tua opera tanquam informes ursæ partus intuere. Commoditatibus in lecto, habitatione, vestitu, etc. renuntia, cogitans rem plane indignam, ut tam vilis et abominanda creatura bene habeat.

#### GRADUS SECUNDUS.

##### *Diffidere sibi ipsi.*

En quid in tuis viribus fidere possis, conjunge omnes animi et corporis vires, et ecce te solo, sine Deo nec digitum movere, nec gressum facere poteris; si in minimis omnino nihil potes, quid obsecro in magnis tibi fidere audebis?

Tantum nunc potes tuis viribus, quantum potuisti, cum nondum fuisti; quidquid jam ultra potes ex te, nec ullum est, omnia a Deo, sine quo organum mutum es, baculus qui se movere non potest.

Ecce Angeli tam puri, tam ab omni carnis incitamento mundi et liberi, quam graviter tamen lapsi sunt. Adam in innocentia productus, malum nullum viderat, nullum audierat et quam misere se perdidit! Tu in carne et peccatis natus es, mille hostibus cinctus, mille insidiis appetitus, quid ages? Illorum tam robustæ vires uno appetitu fractæ sunt, tuæ jam ita debilitatæ: quid poterunt?

Examina ergo te. Quidnam in te sit? Cui fidere possis? Ingenium? Ah! quam obscurum, quam cum omni labore debile!

Voluntas? Decies mala vis, quam semel bonum. Intellectus? Ipsa cecitas, ipsa ignorantia est. Corpus? Ipsa debilitas est. Modus tuus agendi? Saepe cum putas te alius illo modo placere, mirellis offendis.

Experientiam consule. Si tristis es, si tentatus es, agendum, si quid potes; fac te laetum, libera te. Deinde quam multa bona proponis, et quid præstas? Hodie ardes desiderio virtutum, cras omnis desiderii oblitus es. Si quid potes, cur non peragis, quando boni quid cepisti? Centum bona desideria habuisti, et non unum perfecisti.

Omne robur tuum a Deo est, actionem nec unicam sine Deo elicere potes. Omnia bona a solo Deo velut mari procedunt. Ex te vero nil, nisi nihil et peccatum. Perdidisti tua ex te, Israel, a me tantummodo auxilium tuum. OSEE III.

## PRAXIS.

Sæpe revolve illud S. Pauli: Non sumas sufficientes cogitare aliquid ex nobis. Et illud S. Joannis: Nemo potest dicere, *Dominus Jesus*, nisi in Spiritu Sancto. Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri. Item: Sine me nihil potestis facere.

Ante quodcumque opus, maxime si paulo gravius sit, coram Deo propriam infirmitatem et impotentiam fatere, ejusque auxilium enixe implora. Id potissimum fiet in operibus manifeste supernaturalibus, ut ante orationem vocalem et mentalem, examina, Missam, etc. Cave ne, cum proximo converseris, eumque in bono ædificare studens, industria et gratiæ conversandi innotaris, sed potius totam spem tuam pone in Domino, qui est Dominus cordium.

Item adverte in admirando poenitentiam Sacramento, dum poenitentibus remedia præscribis, aut salutaria alia monita communicas. Hanc diffidentiam in ipsis verbis exprimere stude, nunquam absolute dicendo: *faciam hoc vel illud*; sed semper addendo, *cum divina gratia*, et perfectior modus loquendi esset ille S. Pauli: Non ego, sed gratia Dei mecum, id est, gratia Dei utens me, tamquam instrumento.

Nunquam aggredere aliquod opus, maxime, si habeat aliquid arduitatis, nisi præsumere possis, id Deum velle, ita superioribus, et ipsa Instituti ratione exigentibus; nisi enim Deus id a te fieri velit, gratiam non subministrabit, ac proinde tu tibi relin-

quis nihil effectum dabis. E contra tamen, si advertas Deum aliquid velle a te, quantumvis arduum et excelsum sit, fidenter aggredere. Deus enim, qui Prophetam per os asinae docuit, totumque orbem super nihilum statuit, frequenter solet imperitissimis instrumentis ad magna perficienda uti, ut eo major ipsi exinde resultet gloria.

Occasiones peccandi maxime fugias, et maxime aspectum, colloquia seminarum, per quas cedri Libani computruerunt.

Eadem de causa cor tuum ab aspectu erga elegantulos juvenulos abstrahas. Hic enim etiam aspectus, præterquam quod magnam inordinationem causet, disponit quoque ad priorem, et reddit multa Societatis ministeria minus pura, minusque grata.

In omnibus tuis propositis maxime adverte, ut, si ea vis esse proficua, et sortiri effectum, illa in divino auxilio fundes. Aliorum judicium sæpe exquire, et sequere. Non fidam memoriæ tuæ, verba Canonis, Consecrationis nunquam memoriter pronuntiabis.

## GRADUS TERTIUS.

*Reputare se divinis donis indignum.*

Cogita te esse vas spurcissimum, immundissimum et plenum adhuc foetentibus sordibus, etc. contra donum Dei etiam minimum esse purissimum, plenum splendore et pulchritudine. Quid jam mirum, si Deus in tam turpe vas, tam nobiles gemmas infundere nolit?

Recordare, quoties, cum tibi Dominus dona sua ultro offerret, tu tamen illum cum donis suis, ah quam turpiter! abegeris et neglexeris, aut si accepisti, heu! quoties contra ipsum Dominum tuum illis abusus fueris, dignumne te jam putes vel una gratiæ guttula?

Hanc divinis donis dignus? Quid ergo Deo dignum, dignum remuneratione egisti? Si per totam vitam in ferventissimo amore et perseverantia Deo servisses, nihil dignum in conspectu ejus egisses. Nunc, cum per totam vitam scelera sceleribus cumulaveris, beneficio adhuc et dono dignum te aestimes? Quantus, quantus es Dei debitor, et cum tot milliones debeas, nec obolum adhuc solvisti, et tamen dono adhuc dignum te credis?

Quid miraris, te non his talentis a Deo dotari, quibus alii? Uti non potes, sic ut alii. Videt Deus, si tibi hoc vel illud daret,

illa non in gloriam, sed in poenam tuam, cessura, quia videt te illis abusurum. Cur ergo furioso gladium det?

Vide, utrum dignus sis divinis donis, quia ea tam indigne tractas. Dat tibi Deus in meditatione aliquem ferventem conceptum, Et mox ex capite tuo duodecim alios astruis, qui illum omnino obfuscant, et uni verbo, quod tibi inter loquendum inspirat, viginti quatuor inania addis; sicque semper nobilissimam Dei telam erassis tuis filis turpiter obscuras.

## PRAXIS.

Mane surgens cogita te indignum eo die, quem accipis; ante quamvis orationem indignum, qui cum Deo agas.

Ante Sacrum et horas Canonicas indignum, qui annumereris inter minimos Dei ministros, is tamen te in præcipuis et familiarissimis habeat. In mensa indignum pane, quem comedis. Vesperti indignum quiete, qui non laborasti.

In ariditate indignum consolatione, cum peccata tua mereantur omnia poenarum genera, et in hac, et in altera vita.

Cum vides alios præclaris talentis dotatos, gratias age Deo, quod ea tibi non dederit, utpote qui illis male fuisses usus, ac proinde damnationem tibi ex iisdem cumulaturus.

Cum tibi quacumque ratione male est, cogita, te indignum esse meliori statu, et peiora promeritum.

Donis, quæ a Deo accepisti, diligenter et solerter utere, cogitans, una cum ipsis tibi impositum onus de iis strictam reddendi rationem.

Cum vides alios a Superioribus multa concedi, te autem negligi, gaude, quia tractaris tanquam hujusmodi rebus indignus, ut vera es; si autem et tibi similia concedantur, vel confundere ob Superiorum vel aliorum bonitatem, eo quod indignitatem tuam agnoscentes, tamen eam attendere noliint; vel dole, quod indignitas tua iis nota non sit, quam forte, per hyperisim tegis, et talibus rebus vel non utere, vel, si aliter non potes, saltem utere parcissime.

## GRADUS QUARTUS.

*Se omnium minimum aestimare.*

Certo scias, si alius Deus hæc fecisset, quæ tibi fecit, si tantis donis et illuminationibus prævenisset; jam in culmine perfectionis starent, et tu adhuc ad radicem jaces. Vere ergo omnium minimus es, qui omnium minimum Dei donis uteris.

Profecto, si Deus me in illa scelera permitteret ruere, ad quæ natura propensus sum, aut nisi Dæmonis aut carnis tentationes a me averteret, jam in infimum peccatorum barathrum ruerem, et omnes peccatores peccando superarem; nam ecce illa omnia peccata, quæ omnes et singuli homines fecerunt a condito orbe, ego, nisi me Deus custodiret, solus facere potuissem. An non ergo me omnium minimum vere aestimabo?

Sane nulli me præponere possem; forte enim ille ipse, quem ego minorem me aestimo, in conspectu Dei multis partibus sanctior est, ego enim externa aspicio, cor autem Deus intuetur.

Vere multis imperfectioribus abundo, quas tantum ego scio, et quot sunt, quas nescio? Et tamen his quam multi carent, et vix nomen sciunt, aut si forte quasdam habent, Deo tamen non ita displicent, atque mee, utpote qui ob tanta beneficia fidelius deberem et ferventius, quam alii, servire.

In quolibet ferme videbis alios virtutes, quas scis te non habere; merito ergo te minimum omnibus existimabis.

## PRAXIS.

Latissime patet hic actus. Quancumque actionem sive spiritualem, sive materialem, perficias, cogita, te ex omnibus, qui illum tecum, vel alio tempore, agunt, agere imperfectissimam.

Quotiescumque apud viros doctos, spirituales, etc., reperiris, cogita, tuam virtutem et doctrinam illorum dotibus minime comparari posse.

Cum alios in spiritu vel litteris instruis, et hic cogita, te illis minorem, vel quia alia habent, quæ multis partibus compensant vel superant ea, in quibus at te superantur,

quia illo parvo, quod habent, bene utuntur, tu male; vel demum considera te secundum id, quod habent a Deo.

Nunquam in ulla re te alteri spiritualiter, et absolute præferas, sed si aliter non potes, accurre ad occulta, quæ sæpe sunt in homine, et quia tecta sunt, non apparent, vel Deo ita disponente, vel ipso homine humilitatis gratia occultante. Singularitates non solum non quære, sed nec a Superioribus oblata accipe.

Cum nullo unquam de præcedentia, sub quolibet prætextu, contendas, cogitans, tibi ut minimo minima et infirma convenire.

Cum diversitas est sententiarum in agilibus, vel aliis, inter te et alium quempiam, memento, ut tamquam minimus semper cedas. Non velis Superiores alia ratione tecum agere, quam solent cum minimo coadjutore aut novitio.

#### GRADUS QUINTUS.

##### *Nolle honorari.*

Quid, obsecro, sentiret mendicabulum aliquod plenum sordibus et squalore, si illi loti misero prætereuntes caput aperirent, honoratiorem locum darent, etc., nonne aut rideri se, aut illos oculis captos esse, crederet? Ita plane, si tu honoraris; aut enim non vident turpitudinem tuam, alias longe aliter tecum acturi essent, aut si vident, serio te non honorare possunt.

Ece summa illa Majestas, infinita illa pulchritudo, infinito honore digna, vix tamen a millesimo homine honoratur, vix ejus recordatur centesimus. Et tu, monstrum horrendum, bellua turpissima, honorari ab aliis, in aliorum memoria velle esse audebis? Sicine digniorem te æstimas Deo?

Quomodo non totus expalles, cum honoraris? Vide enim, dum te homines honorant, tamquam *sanctulum*, tu interim in conspectu Dei tamquam cadaver putridum fetes, quomodo gaudere potes?

Contemplare, eheu! æternum illud Verbum, infinitam illam Sapientiam, ipsam Majestatem, velut stultum et mente captum, veste alba indui, et per ludibrium circa Principum domos deduci, ut illorum jocus et risus fieret. Donique aspice eundem humili scabello insidentem, omnium peripsema fieri, omnium sputa et sanies divino illo vultu

excipere. Sic mundi Conditor, et ipse orbis Redemptor, tamquam terra indignus et solis aspectu habitus est, et tu adhuc honorari, tu suspici adhuc velis?

#### PRAXIS.

Aliorum dicta acuta vel faceta non refer tamquam tua, sed gloriam auctori tribue. Noli habere gustum, cum alii in re aliqua tamquam exemplum te imitantur.

Cum actu ab aliis honoraris, non tibi, sed Deo, honorem talem exhiberi crede, ideoque dic cum Davide: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam.

#### GRADUS SEXTUS.

##### *Cupere ab aliis contemni.*

Talis velle debeo ab aliis haberi, qualis sum. Sum autem miser et miserabilis peccator, ignorans, turpis, et ineptus ad omnia, Deo ipsi rebellis. Hinc quid mirum, si nemo tecum agere vellet, si te præsentem omnes indignarentur? Monstrum vident.

Quis tibi ægre ferret, si sterquilinum transiens, nares cohibeas? Si hominem peste aut lepra infectum etiam a longe fugias? Si stultum aliquem quid dicentem aut agentem rideas? Si hominem paralyticum ad domestica officia non adhibeas? En revera sterquilinum es, quid miraris, si alii nares cohibeant, immo pedibus te conculcent? Immo et sic nimis pretiosus haberi, dum homines super sterquilinum hoc ambulare dignantur. Pestem, tabem, vitia contagiosa habes, quid mirum, si te alii fugiant? Stultus es, ad nihil ratione et fine sancto uteris quid mirum, si aliorum jocus fias? Paralyticus es, et vere ad nihil utilis, quid mirum, si ad nullum officium adhibearis?

Cum ab aliis contemneris, cogita illos tantum partem aliquam ineptiarum tuarum et imperfectionum videre; quid primum agerent, si totam illam vitiorum tuorum saniem viderent, parum plane adhuc agunt?

Ece vocantem me, et momentem me in seculo Deum, ah! quantum Deum turpiter contempsi? et prohi dolor! quoties adhuc summum illum Deum, ad ostium animæ mee stantem indigne abigo? Et hæc a me verme, non homine, quotidie patitur summa

illa Majestas, et ego homuncio, si ab homine contemnor, adhuc ægre fero? Miror, quod in me contemptu dignum videat? Puto me non commeritum fuisse?

Cupiam ergo contemni saltem, ut aliquo modo temperem indignos illos contemptus et injurias, quibus summum illum Dominum et Redemptorem meum tam indigne affeci. Cupiam omnibus postponi, ut compensem illam injuriam, qua Deo creaturas, peccatum summæ bonitatis, præposui.

Deum illo ipso tempore, dum tu contemneris, ab infinitis hominum millibus negligi, sperni et contemni, considera; si ergo Deus inenarrabili laude dignus hæc a subditis suis, ab illis, quibus cælum promittit et sanguinem suum dedit, patienter fert, immo illo ipso momento illos alit, et a multis periculis defendit, quid ergo, Deus bone, ægre feram, si turpe monstrum nonnihil ab homine contemnar?

Contemni, vilifieri, tanta dignitas est, ita ut, si contemneris, præ humilitate erubescere debeas, quod Deus ad tantum dignitatis fastidium evchere te dignatus sit; nam vide quid dignius, quid magis majestate plenum, quam ipsi Christo orbis Redemptori similem fieri? Similis magis fieri non potes, quam cum sis opprobrium et abjectio plebis.

#### PRAXIS.

Gaude, cum tua consilia, facta, dicta carpuntur vel contemuntur. Gaude, cum a superioribus, æqualibus, aut etiam inferioribus nullus tibi exhibetur amor aut favor, animaque tua apparet insipida. Noli studere, ut ignorantiam tuam in re aliqua obtegas ad dissimules, sed eam potius prode, ut inde contemnaris.

#### GRADUS SEPTIMUS.

##### *Nolle laudari.*

Aut me laudant ob mala opera, et abominatio est, aut ob bona. At si ex bono illo opere demere vellem, quod bonum non est, vix aliquid boni remaneret, tam opera mea bona plena sunt tepiditate negligentisque, amore proprio, superbia, vere tamquam pannus menstruata, in quo vix aliquid solidum elucet; et hæc laudem mereantur?

TOMUS II.

Timere potius debes de tali opere, quam gloriari.

Vere, dum laudes ab hominibus ob opera mea affecto, fur sum spiritualis et sacrilegus. Quid enim? Cujus auxilio, cujus ope, cujus viribus hoc perfecti? Nonne solius Dei gratia? Soti ergo illi laus, illi honor convenit; fur ergo sum et sacrilegus, dum laudem uni Deo debitam mihi furor; o scelus!

Et si ita feceris semel actum bonum, ergo ne laude dignus? Si quispiam mille milliones alteri deberet, et præ paupertate solvendo non esset, semel vero obolum solveret, an superbiret ille, quod domino suo tam belle satisfecisset? En quantum debes Domino Deo tuo? Ecce si a mundi creatione ad hanc horam vixisses, et omnes capilli capitis tui, omnia ossa tua, quidquid in te est, Deum ardentissimo amore dilexissent, et tu totus amor fieres, nondum tamen pro unica gratia guttula Deo satisfecisses, dum frigidum aliquem actum eleuisti et putas, te ab omnibus laudari debere, quasi nescio quid boni in Deum contulisses?

Quid laudari volo, quod, cum peccare potuissem, non peccarim, etc.? Nonne stultum esset, si quis in foro proclamaret, se rem heroicam fecisse, quod domesticos suos non occidisset? Ita est, teneris hoc facere, quid ergo magni momenti, si facias? Aut si bonum opus fecisti, decies et multo sæpius Deum offendisti?

Merito nihil facere debes hominum laudes. Fallunt et falluntur; seis et expertus es, sæpe te in illa re, ob quam te laudabant, omnium minime potuisse, aut egisse, aut etiam illam rem non intendisse; et quam inconstans laus?

Aut, qui te laudant, et suspiciunt, homines sunt vulgaris vite, aut sancte. Si vulgaris, impossibile est, ut tua opera illis tantopere placeant, quibus ipsa perfectio, nempe Deus, non placet. Si Christus cum omni sua sanctitate fatuus et demoniacus audit, tu apud illos sanctus eris? Si sancte, aut specie tua externa falluntur, aut, quia humiles sunt, etiam patibularios se meliores credunt.

Heu! quam Christo dissimilis sis! Cum laudaris, toto corpore exhorrescere deberes, et pro magna pena a Deo ob peccatum aliquod admissum reputare. Revera hæc via Christi non est laudari, sed via Christi est sperni, vilifieri, contemni. Quis ergo tibi animus erit, si laudaris, dum vides, te a

Christi tui via, quasi indignum illius consortio, extrudi. O quam gravis poena est amatori Christi, a Christo suo tam dissimilem fieri! Expallescere deberem, non erubescere, cum laudor.

En stultitiam inauditam, adest Christus, Regnum æternum pro bono opere dare vult; adest homo, et laudem promittit statim perituram, mox tu laudem momentaneam aspicias, et pro æterno illo præmio permutas. Si adeo gloriam affectas, cur non æternam potius, quam breviter duraturam?

En Deus, qui cælum et terram creavit, tanta opera, tantam machinam; qui omnia agit infinita perfectione, tamen vix ob hæc ab ullo homine vere laudatur, et tu, si exiguum aliquod opusculum facis plenum sordibus et tepiditate, laudari cupies?

#### PRAXIS.

Actiones tuas virtuosas, maxime si paulatim extraordinarie essent, et quidquid aliud existimationem tibi parere posset, studiose abscondas.

Time, cum laudaris, ne tibi ea a Deo loco præmii tuorum honorum operum submittantur.

Frequenter cogita, quam vanæ sint humanae laudes, non solum, quia sunt bonum extrinsecum in honorante existens, angustæ et ratione temporis, et ratione personarum, sed etiam homines illud laudant et æstimant, quod illis placet, quandoque magni faciunt, quod plerumque ineptissime. Fuge quidquid in ministeriis speciosum est.

Cogita, quanto magis laudem a Deo quaerere debeas, ut qui solus intentionem, a qua omnis bonitas actionum dependet, cognoscit, et cujus iudicium pluris faciendum est, quam iudicium omnium hominum et Angelorum. Unde dicendum cum Propheta: Sana me, Domine, et sanabor, quoniam laus mea tu es. Aut cum Philosopho quodam: Hæc ego non multis, sed tibi; sat enim magnum alter alteri theatrum sumus.

#### GRADUS OCTAVUS.

*Defectus proprios libenter detegere.*

En stultitiam et detestandam superbiam! Coram Deo, coram divinis oculis peccare non

erubescere, coram hominibus fateri erubescere. Si Deus videt, non curo; si homines audiant, confundor. Nonne hoc est pluris hominem, quam Deum facere?

En si defectum in corpore habes, curris et patefacis omnia, ut saneris; si vultus in anima habes, abscondis. Nonne hoc est velle perire?

Eo et libentius defectus meos patefaciam, ut alii ex vitis meis et tot imperfectionibus eo magis Deum laudent, quod me sceleratam tandem patiatur.

#### PRAXIS.

In confessione peccata tua sincere, prout sunt, sine palliatione explica.

Superiori tuo conscientiam totam detege, etiam sine sigillo confessionis.

Gaude defectus tuos publice promulgari, et penitentiam tibi propter illos injungi.

Eos, qui defectus tuos aliis detegunt, pro benefactoribus agnosce, velut illos, qui de macula in vultu monent, ama propterea illos, et gratias age.

#### GRADUS NONUS.

*Deo se subicere.*

Perpendam ineffabile Dei beneficium, qui cum videt me, mihi ipsi dominum et rectorem esse non posse, sed velut infantem cultro in perniciem meam uti; ipse meus Dominus et rector esse vult, et ad suam voluntatem me totum dirigere. Quam gaudens me jam illi subiciam, et me totum velut infans nutrici tradam?

Quid est Deus? Potentia, Majestas, Sapientia, Justitia, Bonitas ipsa. Quid sum ego? Impotentia, vilitas, ignorantia, peccatum, malitia ipsa. Si jam dignum est, ut homo impotens homini potens, vilis magnifico, etc. se subiciat, quomodo ergo potentia infinite terre gleba me subicere debebo? In minimum terre foramen me abdere deberem.

Cogitabo, Deum, quidquid mecum fecerit, errare non posse, omnia providere, omnia ad majorem suam gloriam dirigere, et, quia infinite bonus, omnia ad nostram utilitatem derivare; faciat ergo mecum, quidquid velit, exaltet et deprimat me, sanet et affligat me, faciat ex hoc luto divinus figulus, quidquid velit.

En omnes reliquæ creaturæ subiciunt se Deo ad nutum ejus, et tamen non noverunt, quam magnus ille sit, cui se subiciunt; ego novi, ego experior, et solus dico: *Non serviam. Væ!*

Quantus, quantus sum, Dei sum, meus non sum, omnia in me illius sunt, ille fecit me, et non ego me; immo cum perdiderim me, ille redemit me; de me ergo disponere nil possum, quia meus non sum, ergo Patris sum; servus sum, ergo Domini sum; redemptus sum, ergo Redemptoris sum; creatura sum, ergo Creatoris sum.

Erubescere ex animo, quod ipse Deus se tibi subiciat, et vel ad unicum nutum tuum se tibi infundat, ad te, quoties vis, veniat. Et jam tu?

#### PRAXIS.

In omnibus occasionibus studiose voluntatem Dei bonam, benevolentem, et perfectam inquire.

Eidem suam voluntatem magna cum æquanimitate conformare.

Gaudere, quod summa ejus voluntas in te semper adimpleatur.

Optare et procurare, ut alii etiam se eidem perfectissime conformet.

Dolere, quod tam multi peccatores tantæ Majestati se subicere, eamque, ut par esset, venerari nolint.

#### GRADUS DECIMUS.

*Subicere se omnibus.*

Ecce Deus non solum Matri suæ et S. Josepho obediens fuit, et se subiecit, sed ipsis peccatoribus, ipsis carnificibus, immo ipsi Dæmoni, dum ab ipso in montem excelsum et pinnaulum templi ductus est. Et tu adhuc putas inconveniens esse, te hominonem hominibus subicere. Item Deus tanquam subditus tributum dat, tanquam impotens a facie Herodis fugit.

Contemplare in omnibus hominibus Deum existere, illos totos occupare, quanta ergo superbia sit, non se subicere illis, quibus ipse Deus se subicit, et in quibus habitat.

Perpende, omnes homines ineffabiliter a Deo diligunt, præsertim Religiosos esse magnos in conspectu Dei, esse alicuios, esse consiliarios, filios Dei, et ego fetidissimus tantis me non subiciam? Qui olim fulgebant, etc.

Perpende attente, omnes Fratres tuos esse magnos benefactores, et Deum propter illorum preces et merita inhibere justitiæ gladium, quo te alias juste percuteret; illos esse, propter quorum preces et merita multa tibi dona dat, a multis periculis te liberat. Quis itaque animus tibi esse debet, eum talem Davidem aspicias?

Certo scias, te justo Dei judicio infernum meritum esse sceleribus tuis, ubi inter infernales illos socios, Dæmones, et damnatos æternum arsis. Jam vide, ponit, te Deus (qui inter Dæmones æternum ponendus esses) inter nobilissimos amicos suos, inter electos suos. Nonne jam omnium pedibus te subicias, nonne te velut lurconem aliquem et patibulo liberatum inter hos alicuios reputabis?

#### PRAXIS.

Numquam alteri tuum iudicium præferre præsumes, sed alienum sequere, nisi manifeste sit erroneum.

Etiam a verbalibus contradictionibus singulari studio abstinere.

Voluntatem quoque in rebus licitis cum alicuius voluntate conformare.

Honorifice semper de aliis tanquam superioribus loquere.

Exterioribus etiam signis et actionibus tuam subjectionem demonstrare.

#### GRADUS UNDECIMUS.

*Humilia officia appetere.*

Hoc certo scito, nullum in toto terrarum orbe officium, tam vile esse, quod non pro te sit nimis splendidum; cum enim ex te ad omnia ineptus sis, et indignus, ut quisquam tui recordetur, obstupescere debes, cum vel ad minimum officium adhiberis, tanquam ad rem pro te nimis magnam.

Contemplare summam illam Majestatem, coram qua cælum et terra tremunt, ante piscatorum pedes genua flectere, sordes abluere, extergere, oserari etc. et tu erubescere adhuc eo te demittere, quo se Deitas ipsa demittit?

Perpende, revera nihil vile esse, quod ipse Deus facit, aut quod quis propter Deum facit, quod jam tam vile officium, quod non suo exemplo Christus prius sanctificavit! Immo

de facto, quidquid tu facis, cooperatur Deus tecum. Si ergo Deus non dedignatur ad quantumvis vile officium tecum cooperari, tu operari erubescere?

Considera commoda humilium officiorum; nam Deo magis placent, Christo assimilant, proximum edificant, domesticos sublevant, te ipsum humiliant, ab invidia liberant, meritis augeri faciunt, et quietem animi conciliant.

## PRAXIS.

Opta tibi a Superioribus talia imponi, ut Christo similior fias.

Offer te ad illa, rogaque, ut injungantur. Ultra, si occasio detur, ea elige.

Cum magna alacritate eadem perfice.

## GRADUS DŪODECIMUS.

*Se omnino inutilem reputare.*

Cogita, te servum esse, qui semper ægrotet, semper lecto decumbat, et ex solius domini sui sumptibus sustentetur, poteritne talis servus utilis dici? Ecce servus Dei es, sed qualis? Semper ægrotat anima tua, semper in lecto imperfectionum decumbis, semper pharmaci gratiæ divinæ sustentari debes. Nonne ergo omnino inutilis servus Domino tuo?

Perpente, omnes homines quomodo carere te possint, ut taceam de Deo. Ecce Societas sine te æque floreret, immo melius. Totus orbis sine te æque staret, quilibet sine te viveret. Ad quid ergo necessarius es? Ad quid utilis? Officia quæ perficis, alius millies melius perficeret.

## PRAXIS.

Nullum officium magis arduum aut honorificum desiderare vel ambi.

Tuam ineptitudinem ultra Superioribus aliusque manifesta.

Gaude, si alii tibi ad honorifica officia præferantur.

Si quid boni per te operari dignabitur Deus, cum infirma mundi elegisse, iterum profiteri.

## M E D I A.

*Exemplum Christi*, sæpius et bene ponderatum; quod medium adeo æstimavit efficax S. Aug. ut dixerit: Si hoc superbum non curet nescire se, quid eam curare queat? S. Aug. serm. 1 in *Domin.* 2. *Quadr.*

*Humiliatio*; de qua præclare S. Bernardus sic loquitur: Humiliatio est via ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliationis; nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem provehi. S. BERN. epist. LXXXII. Hujus autem efficaciæ tres afferuntur cause ab Ascetis. 1. Quia, ut S. Augustinus recte advertit, cum ad fratris pedes inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel, si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. S. AUG. tr. LVIII in *Joannem*. 2. Quia, cum objectum presens magis moveat sensum, actus exterior magis movet voluntatem, quam sola virtutis animo conceptæ desideria. 3. Quia accedente actu exteriori, etiam actus interior fit intensior fortiorque. ROMANO. p. II, tr. III, c. XLII, p. 3. Hinc S. Ignatius: Magnopere, inquit, confert, devote, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exerceret humilitas. *Const.* c. 1, §. 13.

*Cognitio sui*; hoc medium suasit senex ille, qui rogatus, quomodo humilitatis perfectio obtineri possit? respondit: Si sua tantummodo, et non alterius mala consideret. *Vita PP.* l. III, n. 17. Hinc et S. Basilus: Tria sunt, inquit, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et ponderatio rei melioris. S. BASIL. in *Hexam.*

*Examen particulare ordinate et accurate per gradus facere*; ita ut 1. Caveamus, ne quid ad laudem nostram pertinet loquamur. 2. Ne faciles laudatoribus aures præbeamus. 3. Ne quid unquam ad humanum oculum faciamus. 4. Ne errata nostra executionum velis oblegamus. 5. Ne cogitationes vanæ et superbiæ admittantur. 6. Ut omnes nobis superiores arbitremur, et potiores partes aliis deferamus. 7. Ut avidis manibus quasvis humilitatis occasiones amplectamur. 8. Ut numerus actuum tam interiorum, quam exteriorum augeatur, sique verus

habitus in supradictis gradibus obtineatur. ROMANO. p. II, tr. III, c. XXVIII.

*Oratio et meditatio crebra*; nam, ut bene B. Angela de Fulgino dixit, humilitas, quam nos habere et discere voluit Deus homo, est lumen quoddam mirificum et clarum, quo intellectus animæ aperitur ad cognoscendam suam vilitatem et nihilitatem, et Dei bonitatis immensitatem; ergo hoc lumen petidebet a Patre luminum. *Vit.* c. XVIII, n. 217.

*Charitatis divinæ studium*; nam, ut S. Marcellinus recte discurrit: Anima, quæ vere Deum et Christum colit, etiamsi infinita justitiæ opera ediderit, ita se habet, ac si nihil egisset, propter inextinguibile desiderium, quod habet erga Dominum. S. MACAR. hom. x. Et clarius S. Theresia: Quando est Spiritus Dei, inquit, opus non est, ut quis investigationem sui ipsius, siquidem Dominus diverso modo dat eam ab illo, quo nos eam possemus acquirere consideratiunculis nostris, quæ nihil sunt, si conferantur cum humilitate et luce, quam docet Dominus, quæ generat confusionem quamdam, a qua anima quodammodo deficit et annihilatur. *Vit.* c. v.

*Consideratio multitudinis beneficiorum a Deo acceptorum*; nam, ut S. Franciscus Salesius dixit, nulla res non potest tantum humiliare ante Misericordiam Dei, quantum multitudine beneficiorum ejus. *Introduct.* p. III, c. v.

*Ponderatio præmii humilibus promissi*; sic enim ipse Christus proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, (HEBR. XII, 2) quod ipsum S. Chrysostomus sequenti discursu confirmat: Dic, oro, si quis te ad regnum terre et imperium vocaret, atque, ante ingressum ejus civitatis, in qua coronandus esses, in stabulum divertere esset necesse, ubi luti plurimum ac fimi, viatorumque tumultus ac latronum perturbatio, summa pressura et angustia, nun illa tristitia in cogitationem lætam non converteres? An non illa omnia, quasi nihil essent, gaudii et spe regni, contemneres? Perquam igitur ineptum et indignum est, terrenis mortalibusque rebus potiturum, nihil his, quæ interim inciderint contrahi; æterni autem regni spe elatum atque erectum, et ad eos accersitum, per singula, quæ acciderint in diversorio tristitia, decidere atque perturbari. S. CHRYS. t. V, l. III de *Prov.*

*Considerare vilitatem et fragilitatem suam*;

uti S. Bernardus suasit, dicens: Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, et comparatio melioris. Si primum Lucifer habuisset, non de celo ruisset; si Adam secundum habuisset, non de Paradiso ejectus esset; si Antichristus tertium haberet, non se Deo præferret. S. BERN. tom. III, s. de *Conv. Pecc.* art. 3, c. III. Clarius vero hanc vilitatem explicans S. Laurentius Justinianus: Recogita, ait, o homo, ut humiliter, originem tuam; intellige, unde venis, et erubescere; adverte ex quo conciperis, et humiliare. Nam in putredine conciperis, in sordibus generaris, in latebris confoveris, et in doloribus parturiris. Formatus es nempe, o homo, de pulvere, de luto, de cinere, quodque vilis est, de spurcissimo et fetidissimo sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ, et quod deterius est, in labe peccati, in obligatione delicti. S. LAUR. JUST. c. v, *Lign. Vit.* Cur autem tam vile homini corpus Deus assignarit, rationem tuam; inventuram, dicens: Cum Deus omnia possit, ut quid non fecit nos aequales Angelis in gloria, nisi ut ipsa depressio nostra humiliet nos, ne elevemur sicut seducti, et seductores Angeli, et corruamus, et pereamus? Inde est, quod cum Deus in baptismo tollat penitus peccati reatum originalis, ponam tamen corruptionis non tollit in hac vita, ut semper maneat nobis memoriale humiliationis, quo cauti simus, ne superbiamus, sicut primi parentes nostri, et ex quorum superbia, et transgressione, omnes corruimus in culpam. S. BOAV. lib. II, de *Perf. Rel.* c. XXXIII.

*Considerare ipsius etiam animæ vilem statum*, quem S. Bonaventura sequentibus verbis indicavit: Propter tria homo se ex parte animæ pulverem debet censere. Primo propter vilitatem; sicut enim cinis est vilis, quantumcumque fuerit de pretiosa materia, sic anima valde vilis est ex culpa, quamvis sit valde nobilis ex natura. Secundo propter resistendi difficultatem, quia sicut cinis statim dispergitur, et non potest resistere medico flatui; sic homo non potest resistere modicæ tentationi, immo frequenter cadit ad sibi hunc modicæ verbi. Tertio propter surgendi impossibilitatem, nam sicut cinis non potest redire ad statum suæ materie; sic homo peccator non potest redire ad statum gratiæ, nisi sola Dei virtute. Et paulo

ante, in cap. 4. Nonne se per humilitatem despiciat homo, si solenter conspiciat in se negligentiam proficiendi, difficultatem standi, facilitatem cadendi, laborem resurgendi et debilitatem vitia vincendi? Idem, *de Diat.* tit. VII, c. 1. Unde merito S. Bernardus dixit: Ad se humiliandum nihil vivacius invenire potest anima, quam si seipsam in veritate inveniat, tantum non dissimulet, nec sit in spiritu ejus dolus. S. BERN. *ap. Mansi*, disc. XXI, n. 4.

*Considerare creaturas*, uti iterum S. Bonaventura suavit, dicens: Debet considerare diligenter creaturas corporales, et ex illis humilitatem haurire; si enim consideret terram, videt supplicium peccatorum; si consideret quadrupedia, videt ea fortiora; si volatilia, videt ea leviora et agilia; si terrena nascentia, videt meliora, sicut fructus sunt, et pulchriora, sicut flores; si consideret proprium subjectum, videt quod in principio est semen immundum, in medio saccus stercoreum, et in fine cibus vermium; ut dicit Bernardus, *Meditationum* cap. 3. Vide unde veneris, et erubescere; ubi es, et ingemiscere; quo vadis, et contremisce. S. BONAVENT. l. c. Quod ipsum etiam confirmans S. Laurentius Justinianus: Considerare non negligas, inquit, quod singula quaeque nascentia propria quaedam habent munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem; penna regit volucrum; piscem squamma operit; lana ovem induit; pellis jumenta et feras vestit; concha testudinem excipit; solus homo inermis nascitur et nudus, ut eo ad humilitatem fiat promior, quo ceteris rebus in ipso suo natiuitatis primordio conspicitur abjectior. S. LAUR. *Just. de Lig. Vit.* c. IV.

*Considerare Deum, a quo omnia habentur*; nam ut S. Bonaventura recte iterum dixit: Duo sunt, quo admonent nos, ut humiles simus, videlicet quod sumus, et quod non sumus; quod sumus, non habemus a nobis, nec ex meritis nostris; et ideo non oportet nos inde extolli, quia alienae potestatis est, et bonitatis, quidquid boni sumus et habemus. S. BONAVENT. l. c.

*Considerare alienas virtutes*, uti S. Thomas Villanova suavit, dicens: Si te sapientia elevat, confer te cum Doctoribus; si patientia, confer te cum Martyribus; si castitas, cum Virginibus, qui tibi magnus videbaris, illis compositus exiguis apparebis. S. THOM. *VILL. con. de S. Martino*. Cui consonat illud

a S. Laurentio Justiniano traditum monitum, dum inquit: Respectus meliorum, acquisitio est humilitatis. Quo medio Abbas Isidorus usus est, cogitationibus, quod magnus esset, suggerentibus dicere solitus: Numquid talis, qualis Abbas Antonius, vel alii Patres, qui Deo placeverunt?

*Considerare defectus suos*, quemadmodum B. Petrus Damianus Abbatem Desiderium ad Cardinalitiam dignitatem evectum monuit, dicens: Agere noli, frater, quod plerique faciunt, tantummodo, si quid est in te virtutis, attendere, et vitia quasi post tergum posita negligas judicare. Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum, qui nimirum pullinos, et velut ignobiles pedes praer oculis semper habet, insignem vero caudae pulchritudinem post se spectabilem praebet, videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat. In promptu est, unde se debeat in humilitate deprimeri; post tergum gerit, unde valeat quasi praeter ceteris avibus superbie. Quod exemplum humilitatem amantibus applicans subjungit: Te quoque quemadmodum, quod in te virtutis est, lateat; si quid vero vitiosum et correctionis est dignum, ab aspectu tui iudicio non recedat. S. PETRUS DAM. l. II, epist. XI.

*Non comparare se cum imperfectis*; quod medium S. Bernardus suggestit dicens: Noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid seis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter foedissimam horres, et propterea illum putas spernendum, non modo praeter te, qui forte jam sobrie, et iuste, et pie vivere te confidis, sed etiam praeter ceteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; quid seis, inquam, si melior et te, et illis, mutatione dextera Excelsi, in se quidem futurus sis, in Deo vero jam sit? S. BERN. *serm. xxxvii, in Cant.*

*Quaerere, qui deprehendat*; sicut Abbas Moyses cupiam interroganti, qua via brevi ad perfectionis culmen evaderet? seiscitanti suavit, nimirum ut senem aliquem severum austerumque quaereret, atque in ejus se traderet disciplinam, a quo quotidie duriter tractaretur, et sub quo reprehensiones et increpationes continuas hiberet, ut mel et lac. Cujus sententiae subscripserat ille alter, qui

inter injurias et contemptus exultabat, dicens: Hi sunt, qui nobis proficiendi materiae suppeditant; illi enim, qui nos laudant, nobis non parum impediunt et damni adferunt. PENNEQ. *dissert. 1, § 4.*

## ASCETICA.

Quatuor sunt praecipue, quae de humilitate bene discere debet Asceta, aliosque etiam docere. 1. Ut naturam illius bene cognoscat. 2. Proprietates. 3. Effectus et utilitates, quas parit. 4. Ut sciat dubiis quibusdam occurrere, quae circa fundamenta et praxim humilitatis occurrere, et nonnumquam ab inexcitatis hac in arte discipulis moveri solent. Quae proinde omnia nunc breviter in hoc paragrapho explicanda sunt.

*Primum* ergo quod attinet, semper ob oculos habeat S. Thomae definitionem, qua dixit, humilitatem esse *laudabilem sui ad imae dejectionem*; haec enim definitio, ut mox infra dicitur, praeter reliquis accommodata est ad naturam humilitatis explicandam; ex qua colligitur, si proprie officium illius explicare velimus, duplex id esse, scilicet, ut quis non se extollat, aut extolli cupiat ultra meritum; et ut se deprimat et deprimi cupiat infra meritum. S. THOM. II, II, qu. 151. Ad haec enim duo officia omnes gradus, quos alii operose excogitarunt, revocari possunt. Et ad priorem quidem pertinet, ut nihil sibi aut meritis suis adscribat, atque adeo neque laudari, neque honorari, aut preferri aliis (saltem majoribus vel equalibus) affectet, sed potius se indignum Dei donis et ad omnia inutilem reputet. At posteriorem spectat, ut omnibus in minoribus se postponat, atque adeo vilissimo modo (id est, cogitatione, verbo, et opere) tractet seipsum, et ab aliis etiam tractari optet, *quaerat, gaudeat*, in quo triplici gradu summa humilitatis perfectio consistit. Viliter autem seu contemptibiliter *cogitatione* tractatur, si vel ipse, vel alii vilem de ipso aestimationem habeant, ac temeraria judicia falsasque suspiciones de ipso concipiant. *Verbo* contemptibiliter tractatur, si vituperetur, reprehendatur, convitiis aut contumeliis appetatur, vitiaque ipsius occulta manifestentur. *Opere* denique contemptibiliter tractatur, si in vilissimis officiis et functionibus occupetur, inferiori loco in congressu collocetur,

vilissimisque cibis aut vestibus pascatur aut vestiatur.

*Secundum* caput, nempe proprietates quod attinet, sequentes communiter assignantur: Prima est, ut sit *voluntaria* seu *spontanea*; nam, ut recte S. Bernardus advertit, *sola gratiam, quam praefert, meretur leta et absoluta humilitas*. Quae enim coacta et extorta fuerit propter tristitiam, gratiam non habet. Et alibi: « Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter; primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi iusti. » S. BERN. s. xxxiv in *Cant.*

Secunda proprietas est, ut sit *sincera*: « Est enim, inquit S. Ambrosius, qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt doli; et est, qui nimium se submittit ab humilitate multa. Non est ergo humilitas nisi sine fuce, sine fraude. Ipsa est vera, quae habet piam mentis sinceritatem, magna est virtus ejus. » S. AMBR. l. II, ep. IV. Gravior explicans hanc proprietatem S. Bernardus: « Appetere, inquit, de humilitate laudem humilitatis non est virtus, sed subversio. Quid enim perversus, quid indignus, ut inde videri velis melior, unde videris detior? » Scite quidam hanc humilitatem *haematam* vocat, quia, dum per humilia dicta laudis minoris jacturam facere videtur, aliam majorem piscari conatur, scilicet ut humilis praedicetur. Ex quo S. Bernardus recte colligit, gloriosam rem esse humilitatem, utpote qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. S. BERN. s. xvi in *Cant.*

Tertia proprietas est, ut sit *circumspecta*; id est, ut sciatur, quo in loco et officio, quo fine ac moderamine quis humiliare se debeat, ut cum Apostolo dicere queat: « Scio humiliari, scio et abundare. » (PHILIP. IV, 12) Solenter enim intendendum est, inquit S. Gregorius, ne, dum immoderatus custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis; et dum Praelatus quisque plus se, quam deceat, deicit, subditorum vitam sub disciplinae distringere vinculo non possit. Teneant ergo Rectores exterius, quod pro aliorum utilitate suscipiunt; servant interius, quod de sua aestimatione pertinet. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles, etiam subjecti deprehendant, quatenus in auctoritate eorum, et, quod formidant, videant; et de humilitate, quod imitentur, agnoscant. S. GREG. in *Post. p. II, c. VI.*